Astron.
7

Astron.
7

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Mathematica 705.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

FOLIVM POPVLI.

INSTRVMENTVM HOC A PETRO APIANO IAM RFCENS INVENTVM, ET IN FIGVRAM FOLII POPVLI RE-

dactum per radios Solis toto orbe horas cõmunes ostendit, ex quibus horæ ab ortu & occasu Solis, deinde etiam horæ Iudeorum, quæ in sacrarum literarum lectione per vtrum q; Testamentum cognitu admodum sunt necessariæ, deprehendi facilime possunt.

In disem newen Instrument/ das die form vnnd gestalt hat eines blats/ werden durch den Sonnen scheyn/ in der gantzen welt gefunden die gemaine stunden des Tages/ vnd auß der selbigen/ vermittels dises blats magst du die Stunden vom Auff vnd Nidergang der Sonnen/ des geleichen die Judenstund (welhe durch die gantze Bibel im Alten vnnd Newen Testament gebraucht werden) leichtlich erkhennen.

INSIGNIA IOANNIS GVLIELMI
A LOVBEMBERG D. ARCIS WAGEGG ꝛc.

Quàm bene sortiti sint conuenientia rebus
Arma uiri ueteres, hinc didicisse licet.
Exornant galeæ Cygni suprema canori
Pennæ, hinc Musarum significatur amor.

Populus est fluuijs decori quoq; uitibus alba.
Hic Helicon iadum est, Aonidumq; chorus.
Sed quia Musarum fragilis, q̃ firma caterua est.
Numina ob id galeæ sacra tegumen opc.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

PETRVS APIANVS de Leyßnick Mathematicus Ingolſtadianus, Nobiliſsimo Dño IO. GVLIELMO à Loubemberg Equ. aur. arcis Wagegg D. ac pfidi, patrono ſuo obſeruando S.

QVA RELIGIONE PRISCA QVONDAM ANTIquitus, vir clariſsime idemq; Mecœnas munificentiſsime, Ioui æſculum ſacrauit & quercum, Mineruæ illius filiæ, oliuam, Cybelæ deum matri pinum, Pluton cupreſſum, eadem & Herculi dicauit populum. Ita enim & Plinius autor diui etiam Auguſtini iuditio doctiſsimus idemq; certiſsimus arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſeruari adſerit, & Pöeta ſubſcribit non illepido carmine.

Populus Alcidæ gratiſsima, vitis Iacho
Formoſæ myrthus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Neq; vero illa tantum Herculi ita eſt ſacra, quum ſit ſcutis faciendis vtiliſsima, vt non ſit etiam Muſis grata, ſiquidem Theophraſtus, neq; ignobilis neq; contemnendus autor perhibet Stagiris in Muſæo populum albam fuiſſe poſitam, eãdemq; prociduam reſurrexiſſe. Quæ omnia eò faciunt vt mihi facile perſuadeãt hanc arborem, cuius foliis tribus tua inſignia decorantur: ita hactenus familiam veſtram omnem cohoneſtaſſe, vt teſtetur illi & fortitudinem, & ſapientiam, eruditionem cæteraſq; præclaras corporum & animorum dotes ſemper adfuiſſe, quæ etiamnum ornamenta in te manifeſtiſsime apparent. Vnde cogitanti mihi qua re porrò meum erga te animum gratum declararem occurrit illud tuum populi folium, quod ego illuſtrare dum paro & ſtudeo, res ita ſe obtulit commode, vt neſcio quo pacto ipſum folium in inſtrumentum huiuſmodi excreſcere videbatur, vnde varia horarum genera, puta ab ortu & occaſu, à meridie quoq; & media nocte, quæ aliàs vſuales vocantur, quibus vtũtur Babilonii, horas etiam Iudeorum, dieq; & noctium quantitates, ortum ſolis & occaſum, atq; id genus alia nonnulla quilibet facilime cognoſcere poterit. Non infœliciter eodem ingenio inſignia Auſtriaca iam olim illuſtrauit vir in rebus Mathematicis doctiſsimus Ioã. Stabius. Nos quoq; ſuperioribus annis Illuſtriſsimorum Principum, Saxonieq; Ducum Inſignia ita edidimus, vt ex eis luminarium oppoſitiones, & coniunctiones veræ, & Eclypſium poſsibilitates facilime deprehendantur. Et adhuc animus eſt in gratiam Reuerendiſsimi patris & D. D. Chriſtophori à Stadio Epiſcopi Auguſtenſi. familiæ ſuæ inſignia pari induſtria, ſuperis fauentibus, propediem illuſtrare, ſic enim magnorum illuſtriumq; virorum & honeſtiſsimarum familiarum inſignia commendatiora redduntur, ſimulq; cum aliquo fructu pluribus innoteſcunt. Interea itaq; hoc illud tuæ populi folium vir doctis bonisq; omnibus ſuſpiciende, tibi tuoq; nomini ſacrum hilari fronte placidus ipſe & benignus accipe, quod ſi feceris, vti non dubitamus, vna eademq; opera & ſtudioſos omnes tibi reddes deuinctiores, & mihi animum addes maiora porrò alacrius tentandi, Vale Mecœnas benigniſsime, & Apianum tuum quem ſemel fouendum ſuſcepiſti, porrò tueri ne deſinas, Rurſus vale. ex hemiſpherio Ingolſtadiano, 13 die Octobris, Sole in parte prima Scorpii gradiente, Anno ſalutis Milleſimo Quingẽteſimo Triceſimotertio currente, CAROLO Quinto fauſtiſsime imperante.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

IN FOLIA POPVLI PARTIS IN-
SIGNIVM CLARIS: AC DOCTISSIMI
IVVENIS IOANNIS GVLIELMI A LOVBEMBERG, EX QVI-

bus vir ſpectatæ eruditionis P. Apianus vſum horarum cognoſcere docuit

B. Amantii Poëtæ Cæſarei tumultuarium Carmen.

Deſine cum priſcis præſentia tempora ſæclis
Conferre, atq; ævum tollere laude uetus.
Nec ſegnis noſtræ damnetur inertia uitæ,
Mutantur uanis crimina ficta logis.
Quod natura modo nimium ſit feſſa creandis
Fœtibus, & partu reddita macra crebro.
Nam ſi perpendes animo tecum omnia recto
Temporibus cernes credere priſca nouis.
Tantum, & præteritis noua nunc præſtare uidebis,
Maiores uires mentibus eſſe nouis
Collis Auentinus quantum uel ceſſerit Hæmo,
Vel Pindo quantum es tu Palatine minor.
Sicut Agenorei ſurgunt ubi cornua Tauri,
Floriferos aperit terra benigna ſinus.
Fœcunda & lætis pubeſcunt gramina campis.
Terraq; odoratis ſpirat amœna roſis.
Sic ſtudijs hæc noſtra uiget melioribus ætas,
Maiorum ingenijs poſt nec habenda bonis.
Nec præferre pudet priſcis Heröibus arte,
Quos noſtra hæc nobis ſæcla dedêre uiros.
Vis tanta ingenio diuinitus inſita pollet.
Rebus & in magnis gratia tanta data eſt.
Illis tam immenſas tribuit Cyllenia dotes.
Senſibus atq; altis imbuit hæc animos.
Et quorum Phœbi diuina in pectora numen
Illapſum eſt, fulſit ſydus & inde nouum.
Et pleno ſtellas uelut inter lumine Phœbe
Exiguas lucet, clarius atq; micat.
Sic noua iudicio ueteres induſtria uero
Exuperat longe & artibus illa præit
Hoc adteſtantur laudanda uolumina multis
Edita temporibus non ſine laude diu.
Atq; ut præteream, quæ non quadrare uidentur
Huic argumento, citeriora feram.
An non Saxonici uidiſti Principis arma,
Qualibus hæc fuerint ante notata typis.
Hinc roſcum poteras Lector cognoſcere Phœbum,
Quo ſigno, gradibus curreret atq; quibus.
Climate quotaq; diuerſo foret hora dici.
Lucis & extaret portio quanta ſimul.
Seu malles gelidum quo tempore cernere caprum.
Monſtrabant ueris hæc tibi ſigna uijs.
Gnomonis globulo reddebat & umbra percurſus
Diſcurſus Lunæ Phœbi opera atq; uagi.
Hinc etiam quale Eois emergeret undis
Signum, & quem dominum quelibet hora daret.
Vix quiſquam multis ante annis tradidit arte
Tali, nec iſthæc poſt dabit ullus homo.
At nunc Populeas non arte minore uidere
Depictas licet hic Lector amice comas.
Hæ tibi præbebunt horarum totius orbis
Vſus, occiduo ſiue oriente uelis
Phœbo dinumerare, nihil diſcriminis extat.
Nam facile ex formis his didiciſſe potes
At neq; mireris quæ cauſſa induxerit illum
Hanc foliis laudem reddere populeis.
Populus Alcidæ ſub magni numine uiuit,
Victrices ornat populus alba comas.
Populus eſt belli faciendis uſibus apta
Fertur & hinc facta Palladis haſta dea.
Dum uiret hæc de ſe diuinos prebet odores
Spirat odoratis mitius atq; roſis
Leniſluis adſtat pulcherrima populus undis,
Quas Satyris referunt Pieriſq; ſacras.
I nunc populeas nulla & cõmertia Muſis
Cum doctis lector dicito habere comas.
Hæc folia æternos ſunt duratura per annos
Laudibus & meritis ſæcula cuncta ferent.
Sicut habent nullum talem Ioanne Mathæſis
Loubenbergero tempora noſtra deum.
Loubenbergero, quo non mage ſuevica tellus
Florentem ingenua nobilitate tenet.
Loubenbergero quo non præſtantior alter
Pollio Muſarum eſt, doctus & ipſe ſimul.
Sic quoq; uiuet opus per longum Neſtoris ævum
Poſteritaſq; omnis tollet honore crebro.

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

QVOMODO DVCTVS CIRCVLARES, ET LINEAS TVM RECTAS TVM obliquas cum numeris adiunctis intelligere debes.

CAPVT PRIMVM.

VANDO ET IN HOC NOSTRO INSTRV= mento, quod FOLIVM POPVLI inscripsimus, & in omnibus aliis horologiis necessarium est cognoscere eleuationem Poli, operæprecium mihi videtur princi= pio docere quo loco in Instrumento hoc illius vsus se offerat, deinde singulas ex ordine partes & lineamenta declarabimus. Primum itaq; omnium in superiori parte huius Instrumenti, quattuor parállelograma conspicis, quorum primum ad leuam signatum est literis C, H, K, & ex litera C lineæ numero 45 ptenduntur, siquidem ob Instrumenti angustiá quælibet linea suo spacio gra= dus duos represéntat, & earum quælibet Zodiacum vnum significat eleuationis polaris, quam numerus à K vsq; in H supputando designet. Lineæ quoq; illæ (siue tu Zodiacos malis intelligere) ab aliis lineis rursus per obliquum in tres partes diuiduntur singulæ, & quidem per tres lineas longas & latas, quæ nimirũ trium signorum principia mõstrant, Virginis, Leonis & Cancri. C autem principium Libræ significat simulq; finem Virgi= nis: & proxima linea à C versus K principium designat Virginis per omnes Zodiacos. Rursus quoq; proxima ab illa versus literam K principium Leonis significat & finem Cancri, qui in ipsa litera K incipit. Iamne igitur vidisti, quomodo parállelogramum istud C H K in hæc tria signa sit diuisum per lineas longas illas & trãsuersas? Porrò iã vide quomodo reliqua etiam signorũ subdiuisio in suos decanos sit partita. Quandoquidem tanta Instrumenti angustia erat, vt plura capere non posset, quodlibet signum in tres tan= tum partes diuisi, illasq; minoribus pariter & breuioribus lineis consignaui, quæ omnes æquidistantes sunt lineis signorum, de quibus hactenus diximus. Et vt maxime tanta esset Instrumenti capacitas, vt diuisionem illam singulorum graduum admisisset, tamen de= forme admodum fuisset & inconueniens vt lineamentorum ductibus rem simul & In= strumentum obscurari, vnde facilime aberrare quis potuisset. Non voluimus itaq; vlte= riorem in hac re diuisionem magis anxie q̃ necessario inquirere, Cæterum ipsæ eleuati= ones polares à K versus I, & ab I porrò versus G descriptæ sunt per denarios tantum siue decanos: & in illis eleuatio poli quærenda semper est atq; super lineam istam directe pro= gredieris versus C, tantisper dum gradum solis attingas, quem tu obliquæ ibidem imma= ginari debebis, & habebis locum Solis in eleuatione polari, de quo deinceps plura dicen= tur. Et sicut iam paulo ante parállelogramum superius declaraui inq; singulas partes distribui, ita reliqua etiam parállelograma tria intelliges, quũ æqualis sit in omnibus illis diuisio, quam iuxta imagines signorum duodecim facile apprehendere poteris. Ibi quoq; adscriptum videbis in quibus signis dies crescat & decrescat, deinde quæ nam sig= na dum per ea Sol currit Ver, Aestatem, Autũnum & hyemem faciant. Præterea ab ipso folii huius nostri medio & ab ipsa quidem litera E duæ lineæ decidunt, quarum quælibet horam significat meridianam puta duodecimam, & illæ hic infra prope finem seu cau= lem folii literis F G designantur. Inter has duas gradus aliquot intersunt diuisi, superius iuxta verticem folii paulo angustiores q̃ in caule, iis quoq; numeri adiuncti sunt vsq; ad 75 qui altitudinem poli meridionalem designant, eò componemus semper vnionem, vt docebimus infra, quocienscumq; hora diei ex Solis radiis inuestiganda fuerit. Ad hæc 24 lineæ rectæ & æquidistantes deorsum cadunt, interius aũt iuxta pedem Instrumenti duplices positi sunt ordines numerorum, quorum superiores albi horas designant ante= meridianas & horam occasus Solis ostendunt. Et per has quidem lineas cognitio patet

horarum ex radiis Solaribus, si eò recidat margarita, neq; per vllas alias lineas. Itaq; has lineas horarum solarium vocabimus, vt effugiamus errorem circa linearum, horarum & numerorum concurrentium multitudinem. Præterea iuxta singula parállelograma rosam vnam conspicis, quarum illa quæ ad lævam posita est adiunctam habet literam R, altera iuxta dextram literam S, super eas duas sicut infra dicemus, adfigendum erit brachiolum duobus membris volubile. Nunc tandē folium populi adgrediamur, ipsiusq; circulos & arcus declaremus. Habet enim principio lineam quæ quibusdam locis ad circulum ducta est, in aliis iuxta folii exigentiam & formam huc illuc deducta conspicitur, lineam dico illam quæ folium ambit vndique, id ipsi non parum formæ addit, illaq; horizontem refert, vnde non tantum horæ ab ortu sed & ab occasu solis sunt cognoscendæ quū sit & principium & finis diei. Porrò quandoquidem folium illud nostrum populi, vt aliud quodcumq; in medio per longum habet caulem, qui ipsum in duas æquales partes secat, quarum altera alteri similima est in omnibus, consultum visum est alteram tantum illius partem declarare, de qua quodcumq; dicetur, puta de reliqua etiam dictum. In hoc folio nostro quinq; reperiuntur horarū genera, de primo iam supra diximus, quoniā illæ etiam extra folium sursum deorsumq; sunt deductæ. Alterum genus horarū quæ in ipso folio positæ sunt, neq; extra illud protenduntur, lineæ sunt obliquæ pariformes simul & æquidistātes horizōti ductæ, quoq; certius haberent ab aliis discrimen albis scissuris dissectæ, & illæ horas ante meridianas ab ortu, & post meridiem ab occasu significant, ideoq; inferius in vltimo arcu circulorum duplicatorum, hoc est, ab A & B folii nostri duplices habent numeros horarum albos & nigros, quorum illi horas ante meridiem ab ortu, hi autem pomeridianas designant ab occasu, Eas proprio nomine ab ortu vocabimus, quamuis confuse etiam de occasu vsurpentur, eò q; commodius ad ortum q̄ occasum adhibeantur. Tertium genus horarum folii huius nigris lineis est descriptum, quæ omnes orthogonaliter penè aut rectangulariter super horizontem incidunt aliàs aliquantulum obliquæ aut tortuosæ, & illæ merito horæ dicuntur ab occasu, quamuis ad ortum etiam pertineant, sicut de superioribus diximus. Earū numeri itidem duplicibus numeris albis & nigris iuxta horizontem sunt signatæ, & albi quidem horas pomeridianas designant ab ortu, nigri autem ante meridianas ab occasu. Sin autem numeros istos tantum reputes ad horizontem respectu habito, & horas illas, quæ deorsum per totum Instrumentum cadunt, tunc sanè albi longitudinem diurnam & nigri nocturnam monstrabunt. Quartum porrò horarum genus iudaicum est, illudq; minutis punctulis est consignatū cū numeris & literis adiunctis, nec sunt lineæ illæ plures quinq;, semicirculus autem inferior in folio horam sextam repræsentat, vnde regressu facto numerantur singulæ rursus iuxta numerorum ordinem vsq; ad XII. quæ directe cadit super horizontem. Quinto iam tandem loco lineæ adhuc aliæ sese offerunt, quæ per se horariæ nō sunt, nisi q; per eas horæ Iudeorum & ab ortu atq; occasu Solis inueniuntur.

Vt autem in omnibus illis, quando de vsu Instrumenti agitur, differentiam habeas, horas eas vocaui ingressus, suntq; illæ duplicatæ & cum circino omnes deductæ. Et sic videor mihi singulas huius Instrumenti partes satis explicasse, reliquum est igitur porrò vsum ipsius adgredi, illumq; per omnia vtut necessarium fuerit edocere.

CAPVT SECVNDVM

QVOMODO INSTRVMENTVM HOC AD VSVM OMNEM PRAEPARANdum sit.

SI forte vsus se offerat folii huius nostri, ipsam principio chartam humefacito cum spongia, eamq; per 4 aut 5 horas tantisper iacere finito dū iustam suam humiditatem acquirat, Deinde ipsam asseri probe & exacte dedolato imponito & adfigito, hinc quicquid extra lineam exteriorem protendi videris ab assere rescindito. Mox superius iuxta

O & P

O & P tabellas duas obſeruatorias conficito, & in qualib& foramen paruulum quod vtrumq; æqualiter diſtet à linea O & P. Ad hæc Brachiola duo ex argento aut alio metallo para, quæ membra duo habent in hunc modum, vt ſi alterum ſuper roſam R ad= figas, adhuc literis E & I conſtingere poſsit, ſimiliter alterum brachiolum ſuper roſam S fixum vt ad E & M vſq; pertingat. Vtrumq; hoc brachiolum habeat in fine ſuo fo= ramẽ quod hic T dicimus, eo filum ſericum adfigito quod duobus tribuſue digitis latis extare debebit vltra inſtrumenti longitudinem, & in eius imo adpendendum eſt plum= bum iuſtæ cuiuſdam grauitatis non nimium ponderoſæ, nè forte brachiolum cum litera T vnà cum filo dimoueat è loco ſuo, quod ſi illud ad gradum Solis compoſueris habe= bis inſtrumentum ad omnem vſum paratiſsimum.

Sequitur forma Brachioli cum vera fili longitudine.



Perpendiculum. Perpendiculum.

VSVS FOLII ISTIVS.
CAPVT TERTIVM.

QVA VIA PROXIME HORAM DIVRNAM QVAMCVMQVE EX RADIIS solaribus per hoc Instrumentum cognoscas.

INuenturus horam diei certam ex Sole per hoc folium nostrum, primum omnium signum quære in quo Sol eo die deuoluitur, in ordine signorum hic depictorum, & circa illud parállelogramum porrò inquire eleuationem polarem tuæ ciuitatis, eam vbicumq; inueneris siue superius siue inferius, ibi omnino ab eo gradu polaris eleuationis ingredere, siue illud C siue D fuerit, vnde tandem linea istius eleuationis poli protenditur, vsq; quo perueneris ad gradum Solis illum, ibi tunc Brachiolum cum filo, id est, litera T repone super gradum Solis inuentum, tunc cura ne illud cum foramine T quoquam dimoueas, sed porrò eleuationem polarem quære in scala meridiana, in ipso nimirum folii caule, vbicumq; gradus ille eleuati Poli horam 12 F vel G attingit, hoc est, quæcumq; istarum linearum F vel G signo Solis propior, puta exempli gratia, si sit Sol in ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊ vide quo loco eleuatio polaris in scala meridiana lineam F attingat, eodem loco erit duodecima meridiana, & illuc repone filum, vnionem quoq; super istum gradum promoue. Sin autem Sol fuerit in sequentium signorum aliquo, s. ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ tunc vnionem vnà cum filo collocare debebis super gradum eleuationis poli, vbi tandem lineam G, quæ & ipsa horam duodecimam refert, continget. His ita omnibus rite decenterq; cõpositis Instrumentũ versus Solẽ vertito, ita vt eleues ipsum altera parte qua solis radios per vtrumq; pinnacidium transmittas, & sic in momento margarita tibi horã monstrabit optatã. In lineis videlic& horariis, quæ deorsum cadũt vsq; ad infimã instrumenti partem, Horarum etiam numeros cognosces inferius iuxta lineam illam, nam ibi numeros geminos inuenies, superiores albos quæ horas cõmunes ostendunt ante meridiem, sicut adiuncta numeris particula ANTE docet, inferiores nigros, in vltima instrumenti parte positos, vnde horæ indicantur pomeridianæ, ex vocula POST addita. Illa .n. præpositio ANTE adiuncta tempus antemeridianum significat. POST autem pomeridianum: Ideoq; & in imo ad dextram in ipsa acie instrumenti adscripsimus MERIDIEM, quæ vox vtriq; respondit præpositioni.

OBSERVATIO PECVLIARIS.

Vnum hoc vide obserues, vt partem eam quæ eleuanda est eleues cũ pinnacidiis versus solem, q; si in 6 signis fuerit ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊ extolles pinnulam quæ super illa signa 6 consistit, sin vero in aliis 6 signis sol fuerit, itidem alterum pinnacidium ad solem attolle, & sic omnia in locis communibus necessaria docuimus, iam ex iis reliqua horarum genera omnia inuenire docebimus.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CAPVT QVARTVM.

VNDE ET QVA RATIONE HORAS ORTVS ET OCCASVS SOLIS, SIMILITER ET DIEI AC NOCTIS quantitatem deprehendas.

AD comparandam noticiam ortus Solis, repone Brachiolũ cum litera T ſuper gradum Solis in Zodiaco tuæ eleuationis polaris, ſicuti ſuperius feciſti. Deinde filum ſine inter lineas horarias, quæ toto Inſtrumento deorſum procidunt æquidiſtanter pendere, & vbicunq; illud ceciderit inter numeros albos in infima Inſtrumenti parte, ibi hora eſt ortus, numeri autem nigri in ordine infimo horam tibi monſtrant occaſus.

Vtrinq; etiam poteris iuſta ratione habita minuta aut quarta horarum colligere, ſi modo horam inter lineas duas in 60 aut 4 partes per imaginationem ſaltem & cogitationem diuiſeris.

Cum huiuſmodi etiam extenſione fili inuenire poteris longitudinem diei & noctis, modo interſectionem fili diligenter obſerues cum horizonte. Conſtat autem ſicuti & ſupra meminimus, horizontem in 24 partes eſſe diuiſum per communes lineas horarias, quæ per totum Inſtrumentum ſecundum longitudinem ſunt productæ, & per lineas horarum ab occaſu, quibus gemini additi ſunt numeri albi & nigri, Vbicunq; igitur filum Horizontem tetigerit, ibidem notato numeros vtroſq;, nam albi longitudinem tibi diurnam monſtrant, , nocturnam vero nigri, Et hæc quidem omnia vnica fili extenſione conſequi poteris.

CAPVT QVINTVM.

QVO PACTO HORAS AB ORTV ET OCCASV, DEINDE ETIAM HORAS IVDEORVM inuenire queas.

INter lineas horarum quæ in hoc inſtrumento plurime ſunt deſcriptæ inuenias nonnullas circino deductas, eaſq; ſingulas duplicatis ductibus extractas, quas ſuperius circulos horarũ ingreſſus diximus: hic non abſorde etiam circulares horas appellabimus. Hæ parum aut nihil in ſe proſunt, niſi q̃ per eas horas ab ortu & occaſu Iudeorũ quoq; inuenimus, hoc modo. Superiori capite edoctus es quærere horam ortus, id eſt, qua hora Sol oritur in tua regione, per illam reliqua tria horarum genera ab ortu, occaſu & Iudeorum inquires in hunc modum. Duplicato horam ortiuam, prouenientem inde numerum rurſus quære in Horizonte inter numeros nigros, & iuxta numerum illum ſitum ſeu diſpoſitionem commodam iſtius horæ, accipe in ipſo Horizonte, deinde ab eadem puncto imaginare lineam æquidiſtantem cõmunibus lineis horariis per totum Inſtrumentũ. Mox propoſita tibi aliqua certa hora ad quam ſcire cupias quot tunc horas Boemi aut Sleſii numerent, qui horas ſuas à Solis occaſu ſupputant, quot etiam eodem tempore numerent, horas Nurnbergeñ & Babilonii, qui ab ortu Solis horas connumerant, tibi tũ in linea imaginaria ſemper horam vnam circularem vel horam ingreſſus pro vna hora numera, ita vt principium horæ ſuper Horizonta incipiat. Vt exempli cauſſa, ſi velim cognoſcere quot numerentur horæ ab ortu & occaſu hora 9 antemeridiana oriente ſole hora 4. Tunc ſanè accipiam ego 8 iuxta Horizontem in numeris nigris, inde numerare pergo vſq; in 9, hoc eſt accipiendo iuxta 8, quartam horam ſ. ortus, & ſuper

proximam horam circularem, dico 5, super secundam 6, super quartam 8, super quintam 9, & ibi fixo acumine cultri aut styli, videndum est mihi quænam horæ ortus & occasus proxime sint, similiter & in horis Iudeorum, Vbi inueniam horam quintam ab ortu, & horam tredecimam ab occasu, atq; in horis Iudeorum horas 3 & $\frac{5}{4}$.

Quod si autem post meridiem tria hæc horarum genera cognoscere cupis, eodem modo operare quem iam didicisti, nisi q; in hora duodecima, quæ meridiana est, & per imum vltimumq; circulum significatur, rursus incipiendum est tibi & denuo ascendendum hoc modo, Sit ita, cupias hora secunda pomeridiana scire horam ab ortu & occasu, simulq; horam certam Iudeor, oriatur quoq; Sol hora 4, vt in exemplo superiori, Tunc super vltimam horam ingressus numerare incipio 12 (ita saltem, vt illa lineam imaginariam ab ortu attingat) super proximam versus horizontem dico 1, super tertiam 2, & ibi perseuerans, consideratis lineis horariis omnibus, reperiam vtiq; tunc ab ortu horam numerari 10, ab occasu 18. Cæterum in inuenienda hora Iudeorum aliter agendum est, semper enim tunc numeri supra VI. accipiendi sunt, siquidem illæ ante meridiem vsq; in VI. sunt descripti, quum hora VI semper in meridiem cadit, eò q; Iudæi quemlibet diem siue longum siue breuem in 12 æquales partes diuiserunt, quod ex multis vtriusq; Testamenti locis apertissime constat. Horas istas Iudaicas in hoc nostro Instrumento dissectis punctulis & interscisis consignauimus, quo facilius ab aliis cognoscantur, numeros quoq; adiunximus a reliquis diuersos I. II. III. &c & illarum horarum plures 6 non sunt, Infima enim, quæ hora 12 est ingressus fit hic sexta, quæ etiam duplici circulo diducta est, à qua rursus sursum numeratur vsq; ad 12, siquidem huius generis horæ 12 tantum sunt, & sexta apud nos semper duodecima est. Horæ autem Planetarum etiam horæ vocantur naturales, vel erroneæ, potissimum tamen inæquales, eò q; altera alteri sit inæqualis. Prima .n. & vltima, hoc est 12, in quibusdam regionibus maxime versus Septentrionem vergentibus, vt in Noruegia in aliquot diebus anni bis adeo sunt longæ vt sexta, quæ meridiana est, similiter & 7, quoniã sexta semper respondet septimæ, & quinta octauæ 4 etiam nonæ, & tertia decimæ, atq; secunda vndecimæ. Vicissim in aliquot diebus hora 6 & 7 bis excedunt longitudine primam & duodecimam. Deinde horæ illæ per omnes totius anni dies inæquales sunt, nisi quum æquinoctium est: sub æquinoctiali tamen perpetuo sunt æquales, extra illum prima ab ortu maxima semper est & sexta breuissima, vel 6 & 7 longissimæ, prima autem & duodecima breuissimæ. Eodem quoq; modo distribuenda tibi nox est, nisi q; hoc discrimen intercst, q; si sexta diei hora breuissima est tunc 6 noctis longissima erit, & contra, si sexta diei longissima sit, necessario sexta noctis erit breuissima. Atq; sic illa diuisio augmenti vel decrementi in continua proportione consistit, deinde iuxta eandem naturalem successionem Planetarum alius post alium regnat, sicut in vsu Quadrantis & Horoscopii nostri dictum est. Quiq; hoc regimine vsi sunt præcipui Babilonii existunt, eos sequuti sunt Bethen, aliiq; Astrologi de qua re legere est apud Hermetem, Nicephorum, Messahallam, & Hermannum contractum, quamuis nunc istis sæculis pro horis planetariis horis Iudeorum vulgo vtuntur, sed male, semper enim horæ Iudeorum sunt æquales quacumq; diei longitudine, siquidem semper illi diem diuidunt in 12 partes æquales ab ortu vsq; ad occasum, & incipiunt numerare ab ortu per singulos numeros ab vnitate vsq; ad 12, quæ hora est sub Solis occasu, similiter & noctem diuidunt in 12 partes æquales earum tres vigiliam cõstituunt, sicut ex Liuio, Lucano apparet, atq; Lucæ duodecimo. Quod autem Iudei horis illis & non Nurenbergensibus vsi sunt, vt quidam putant, reliquum improbare, quoniam Nurenbergæ dies interim octo, aliàs 16 horarum habet longitudinem, apud Iudeos autem dies semper fuit 12 horarum cuiuscumq; alias fuerit longitudinis, quod ex Ioanne patet quando de crucifigendo loquentibus discipulis dixit dominus, Nonne 12 sunt horæ diei? Idem apud Mattheum testatur parabula vineæ de iis quos conduxit ille primum hora tertia, deinde sexta, mox nona, tandem & hora vndecima.

Ibi enim

Ibi enim ex Euangelico contextu liquet diem horas habuisse 12, neq; dubium est horam vnam alteri fuisse æqualem. Constat ergo horas illas neq; Nurenbergenses esse nec Ratisponenses, qui mais & ipsi horas suas numerent ab ortu. Restat ostendere eas neq; nostras esse quibus in Germania vtuntur à meridie vsq; in mediam noctem, & inde rursus in meridiem, vti errent maxime concionatores, qui horas passionis Christi ad illas nostras computant, quoniam eas non fuisse numeratas à media noctæ liquet ex illo q; in crucem suffixus est multa iam luce, non aliqua noctis parte, Sic enim Ioannes ait mane fuisse quando Iesum duxernnt à Caypha ad prætorium: q; si horæ illæ à medio noctis computate fuissent, Christus prima statim luce sub Solis ortu crucifixus fuisset, qũ tamen mane tandem adductus sit ad prætorium. Deinde Sol tunc primum ingressus fuerat Arietem, quo tempore etiam oritur hora 6 post mediam noctem per vniuersum orbem, & Marcus refert Christum hora tertia crucifixum. Ecce si horæ illæ nostræ fuissent oportuisset eum summo mane crucifigi, quum tamen Ioannes testetur eum tandem mane ad prætorium ductum. Marcus quoq; dicit mane sacerdotes & scribas demum iniisse consilium. Adhæc horæ in Euangelio à meridie numerate non sunt quoniam Mattheus ait ab hora 6 vsq; ad 9 tenebras esse factas per vniuersum orbem. Marcus etiam refert mane hora 6 (quæ nobis 12 est) tenebras esse factas vsq; ad horam nonam. Quis iam erit impudens vt dicat miraculum fuisse hoc, q; ab hora 6 vsq; ad 9 tenebræ fuerint, si horas à meridie referas, quum tamen occidente sole hora 6 citra omnem etiam admirationem tenebræ ingruant nocturnæ, Idem ex Luca 23 apparet. Præterea quorsum attinuisset virum tantum tanquam eximium Philosophum super ea eclypsi admiratũ esse Dionysium Areopagitam, qui eo tempore Athenis illam videns præ stupore exclamauit, Aut Deus naturæ patitur, aut ipsi mundi machina dissoluetur. Sopitum itaq; & planè explosum volumus istum errorem, & dicimus omnes istiusmodi horas Biblicas ab ortu solis computari, inq; 12 partes seu horas æquales sub quacumq; longitudine diem esse diuisum, quod ex Actis etiam apostolorum satis constat, quando accusatis apostolis quasi musto plenis, quum Spiritum sanctum accepissent, excusauit eos Petrus hinc tantum, q; tertia tandem esset hora diei &c. Sic igitur hac ratione habita inuenientur in superiori exemplo horæ $7\frac{1}{2}$. Eadem ratione operare poteris, si hora aliqua noctis proposita tria hæc horarum genera ad eadem commodare, hoc tantum discrimine obseruato, vt vbicumq; antea in operatioe diurna horas vsurpasti ab ortu, hic horas accipias ab occasu, similiter & in lineis horariis earumq; numeris agendum est ordine inuerso, vt, quæ antea horæ ortus fuerunt ante meridiem, iam hic horæ fiant occasus ante medium noctis &c.

Et iis iam hactenus videor mihi pro necessitate & oportunitate Instrumenti satis omnia explicasse, neq; vlterius quicq̃ addere est animus, Lector cãdide, quando hæc tibi habunde satis poterunt facere. Tantum igitur Instrumentum hoc nostrum tibi tuisq; studiis, te vero superis Christoq;, optimo maximo commendo.

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

FINIS.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Das Erst Capittel / wie man die cirkelriß vnd linien gebogen vnd gerad / des gleichen jre beygesetzte zyffer verstehen soll.

